



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Ad Ferdinandum Furstenbergium, Neapolim iturum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

A D

F E R D I N A N D U M
F U R S T E N B E R G I U M ,*Neapolim iturum.*

ERgò agè felici discedas alite, quando
 Ire apparas Neapolim,
 Dulcis ubi æternùm spirat clementia veris,
 Lætumque crispantes mare
 Floribus illudunt variis Zephyritides auræ,
 Coluntque citrium nemus.
 Multa quidem tibi Parthenope miranda sub ipso
 Monstrabit urbis limine,
 Eductas cælo moles, atque aurea tecta,
 Et signa Phidiacæ manus.
 Sed tibi, quo tegitur tumulto, sit cura videndi,
 Maronis inclytus cinis,
 Quem memorant (credi si digna est fama) furorem
 Afflare sacrum vatibus:
 Quare ibi posthabito castas Helicone Sorores
 Fixisse mansuram domum.
 Illæ te excipient venientem, ac fronte benignâ
 Sic alloquentes audies:
 O nostris addicte sacris, generosa propago,
 Tuæque flos Germaniæ,
 Lætus ades, nostrosque velis lustrare recessus,
 Vatum feraces grandium:
 Seu Surrentinos amor est invisere colles,
 Dulci virentes pampino;

F 5

Seu

Seu magis arridet pulcherrima Mergilline,
 Dilecta Syncero domus;
 Seu juga Pausilypi pelago prætenta sereno,
 Quæ cœrulæ Nereides
 Sæpè leves ducunt choreas Tritona sequentes
 Curvâ sonantem buccinâ;
 Seu juvat irati tonitrus audire Vesuvi
 Latèque nigrantes globos,
 Sparfaque per campos ambusti viscera montis
 Candente mersos sulphure.
 Sed tibi scrutandi veniat ne dira cupido,
 Quæ causa venis abdita,
 Pabula inexhaustis tot jam per sæcula flammis
 Tellure ab imâ suggerat.
 Te miseri subeat fatum crudele Secundi
 Undante fumo hîc obruti;
 Namque Deus, rerumque vices, venturaque fata
 Latère mortales jubet.

A D

F E R D I N A N D U M
F U R S T E N B E R G I U M.

De nocturno bubonis cantu in Albano secessu.

QUòd carmen ferale canit sub nocte silenti,
 Tristibus & bubo perstrepit auguriis:
 Ne nos sollicitos teneat, Fernande, futuri.
 Hic timor infantes, & leve vulgus agat.
 Num quæ nec notis Babylon deprendit in astris,
 Nec potis aspicere est provida mens animi;

Sed